
OLAI
A.
II.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Gymnasium Logicum repetitum
2. Exercitatio de Cognitione humana universa.
3. Tr. de Esse alicubi seu Ubicatate.
4. Pro methodo Trinitatis aliisq materiis Apologia.
5. Quadrigatus expensus seu Consideratio quadrigae quaestionum de Syncretismo nonnemini Wittebergae emissae.
6. Exercitatio de Prudentia Theologica.
7. Exerc. de Obedientia tam Civili quam Spirituali.

D. O. M. A.

Gymnasii Logici repetiti

DIATRIBE IV.

De

TERMINO PRÆDICAMENTALI

Vulgò de

PRÆDICAMENTIS.

Disputationis loco

Ad collationem Sententiarum

in Gymnasio Dantiscano

Proposita.

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Philosophiæ Professore

Publico.

Respondentis vices obtinente

THEOPHILO CLOSSIO

Dantiscano Borusso.

Ad diem 16. Martij. S. N.

In Auditorio Philosophico

Horis ab octavâ matutinis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,

ANNO cIↄ. Iↄ. XXXIX.

Gymnasii Logici repetiti
DIATRIBE IV.
De prædicamentis.

I.

DEO Termino *vetus Romanorum superstitio nihil immolabat animati, ut notat* Plutarchus qu. Rom. q. 15. *Cujus rationem putant, quòd â cædib. & sanguine tutos vellent regionum terminos, ut pluribus idem disquirit* c. l. & Pineda in c. 5. Job. v. 23. *Secus cum suo* Termino *Logicus procedit, ei non inanimata solùm, sed & animata destinat, & per certos gradus ac ordines ad explicationẽ thematicam vel futurã prædicationẽ disponit, velut in prædicamento substantiæ videre est. Ita* genera & species *rebus creatis aplicata non in qualitatibus, quantitatibus, relationibus & similibus agnoscit Logicus, sed & substantijs: in quibus non inanimatas solùm disponit, ut elementa, mineralia, lapides, metalla: sed & animatas, ut nõ sentientes, velut plantas, & sentientes, velut animalia varii generis. Vt ita denario velut perfectißimo numero Vniversum creatorum orbem sub-certas redactum classes velut terminos comprehendat, & ad distinctam explicationem thematicam vel futuram enuntiationem justè legitimeq́ disponat. Et quia ipsæ rerum Creatarum materiæ certis his ordinibus inferuntur, rectè terminos ordines istos in Logicis suppeditantes* materiales *vocamus, prout prædicabilia* formales *dicebamus, quòd ab istis materiis in particulari adhuc abstraherent.* V. d. 3. t. 1. *Dictus hic Logico* Terminus prædicamẽtalis, *vel uno nomine* prædicamentum.

2. *Prædicamentorum doctrina vel præcognitionis est,*

vel cognitionis. Præcognitionis triplex: An Logica hæc doctrina? Vbinam tractanda? Quid antepradicamenta?

3. *Quâ primum,* An Logica hæc doctrina, *multiplex sententia.* 1. Quidam Metaphysicam ajunt, *quòd ea Ens consideret & summa ejus genera. Ita* Patritius, Mirandulanus, Eustathius, Goclenius ap Scheiblerũ c.2.introd.n.10. *Malè. Aliud est ens ut ens considerare secundùm realia attributa, quod facit Metaphysicus: aliud secundùm notiones secundas & ad ratiocinandum directas, quod Logicus.* 2. Alii ad omnes disciplinas pertinere volunt, *ut quæ speciem aliquam Entis prædicamentalis tractent. Hoc verum est de rebus prædicã. secũdũ particulares suas naturas spectatis, sic de colore, odore in qualitate Physicus, de longitudine, latitudine, numero in quantitate, Mathematicus, de virtute & vitio Ethicus, de substantia, quãtitate, &c. realiter consideratâ Metaphysicus &c. non secundũ esse notionale & prædicativum spectatis, sic de iis in prædicamentis agit Logicus.* Conf. Sheib. intr. c. 2. n. 11. 12. Conimbricens proëm. l. Categ.

4. 3. Alii præludium Logicæ esse ajunt, non partem. Goclenius p. 1. q. 9. Timplerus l. 1. Log. c. 2. q. 10. Sagittarius C. 1. a. Lo. d. 3. t. 2. C. 4. d. 8. th. 3. Arnisæus in Crel. p. com. l. 1. c. 2. Sonleutnerus p. 3. Logic. Libavius p. 5. Log. Phil. Ram. *At 1. Prædicamenta expediunt formalem præparationem Terminorum ad essentialem prædicationem in certâ materiâ accommodandorum, quæ operatio est propria & destinata Logicæ, & ex professo ab eâ tractanda, non proëmialiter saltem, nisi Logicam hiulcam habere velis. E. & hac doctrina de præd. non est proëmialis, sed formalis & essentialis Logicæ. 2. Quia ad primam operationem Logicam ea faciunt, docent enim explicare thema substantiale vel accidentale per definitiones, divisiones, ex prædicamentis desumendas.*

das. At hac operatio propria est Logica. E. & hac pars pradicamentalis.

§. 4. Alii objectum sive materiam Logicam hic proponi ajunt, & præcognosci magis, quàm tractari, nullam hic esse operationem Logicam, quæ lib. d. interp: demùm incipiat. Ita Zabarella l. 1. d. N. L. c. 19. & l. 2. c. 4. secutus Balduinum: Crellius l. 1. par. com. c. 2. Arnisæus in Cr. c. l. Regius l. 1. d. prædicam. q. 1. l. 2. d. no. & ver. §. 1. 3. Goclenius c. l. Scheiblerus c. l. n. 12. 24. & c. 1. n. 69. Nihusius d. 2. Log. t. 42. Libauius propæd. Log. p. 5. Cor. Martini l. 2. part. prop. c. 2. & disp. 2. con Ramist. t. 23. *quodammodo* Bertius l. 1. Lo. d. prædicab. c. 1. Cl. Jac. Martini l. 1. diss. Ram. c. 2. q. 3. *Aliiq. At efformatio notionum secundarum ad futuram pradicationem & thematis finiti legitimam explicationem idonearum est operatio Logica, non nuda objecti pracognitio. At talis operatio est in pradicamētis, ut post patebit.* V. th. 8. 9. *Res ipsæ in prædicamentis ordinatæ sunt* materiale & q. fundamentum: ipsa prædicamenta sunt termini, ordines *& dispositiones* rerum ad prædicationem notionaliter in certà materià per certos gradus & series dispositarum efformantes, ut benè observant Keckermannus noster l. 1. Lo. s. 1. c. 2. Hippius q. 17. Log. Gutkius syn. Lo. l. 1. c. 3. Scharfius l. 1. Log. tr. 3. c. 2. Et post patebit. *Deinde nec objectum Logica* totale *hic proponitur, nam & Logicus de DEO, ente rationis, aggregato, transcendentib. disserere potest, qua tamen ad pradicamenta primò non pertinent. Logicus de omni ente disceptare potest,* ut d. 1. t. 23. *dictum. Non autem omne ens pradicamentis attribui potest. Logica Aristotelea, prout ab Aristotele conscripta & intenta est, objectum hic proponi potest, hic enim ad demonstrationem ut potissimū Log. finem intendit, indeq; eò maxi-*

eò maximam materiarum Logicarum partem reduxit. Demonstrationes autem rigidæ in prædicamentalibus tantùm rebus procedunt.

6.5. Alii ad Logicam pertinere ajunt, sed non ut distinctam doctrinam, sed aliquid latens in locis Topicis. *Ita* Ramei. Ramus Sch. dial. p. 116. l. 5. c. 4. Beurhus Disq. p. 471. & l. 1. coll. c. 1. p. 18. Talæus. c. 10. & 11. Log. Ram. Buscher. ap. ad l. 1. Log. Ram. & harm. p. 173. *At 1. prædicamēta rem inprimis ad essentialem prædicationem ordinare debent.* V. t. 4. *Hoc non fit per externam illam relatione͂ substātiæ ad causā, subjectū, accidētis ad causatū, adjunctū. Nā substātiā etiā effectū & adjūctū, accidens etiā causa & subjectū esse potest, Ut post patebit. 2. Loci tàm â primis, quàm secūdis notionib. sumūtur. Ita â causis, causatis, totis, partibus, arguimus. At prædicamēta Logica secūdæ notiones sūt. 3. Et aliud est prædicamenta â sciente qualitercunq; erui posse ex locis Topicis: aliud, ordinatè & manifestè tyroni ostendere ordinem & processum totius Logicæ, quod inter alia per prædicamenta fit. 4. Prædicamenta generaliter prædicationib.* in certa materiâ, *creatâ nempe, inservire debent. Non debent ergò specialiter ad causam vel causatum, subjectum vel adjunctum, vel inventionem Topicam, ut vocant, vel argumenta invenienda coarctari, cum utriq; inserviant, & tàm inventioni, quàm judicio substernantur. Etiam subjecta & prædicata enuntiationis, etiam syllogismi ex Categoriis effici possunt, tanquam notiones complexæ ex simplicibus. At hæc ad judicium pertinent, ipsis Ramistis fatentibus. Ita substantia non tantùm ad causam referenda, cum & causatū esse possit: nec accidens tantùm ad adjunctum, nam & causa, ut calor raritatis, & causatum, ut sanitas ambulationis, & subjectum, ut superficies coloris, & adjunctum, ut albedo parietis, & totum, ut color respectu albedinis, nigredi-*

nis,

nis, flavedinis, & pars s. species respectu generis, ut albedo colorū, numerus quantitatis, esse potest. Præterea adjuncta comparatis & effectis apud Ramistas opponuntur, ut disparatæ species notionum Topicarum. At accidens prædicamentale apud Aristoteleos & effecta, & adjuncta, & comparata complectitur, ut Talæus c. 10. l. 1. Log. fatetur. Quomodo ergò ad adjunctum Ramistarum referri poterit? 5. Prædicamenta sunt q. species Entium Logicè digestæ. At quis definitionem, divisionem, notationem, testimonia, species Entium dicet, nisi absurdè. Sunt enim tantùm in mente hominis. At prædicamenta materialiter considerata etiam extra mentem. Rectiùs ergò tanquam propria primæ operationis Logicæ noëmata in parte 1. Logices ex professo pertractantur. Conf. Cor. Mart. l. 1. c. Ram. c. 3. Arniseum in Crell. l. 1. c. 4.

7. 6. Alii ut exempla ad Log. pertinere ajunt, non ut præcepta. At efformatio notionum ad tractationem thematicam in materiâ creatâ & essentialem prædicationem est præcepti Logici, ex professo tractandi, Non exempli solùm. V. t. 4. Alii ut fundamenta & bases, non ut partes. Faber. l. de Categ. c. 1. q. 6. At notiones primæ sunt fūdamenta & materiale, ipsa prædicamēta sunt notiones secundæ & formale. V. th. 5. Alii χρήσει ad Log. pertinere volunt, non κτήσει Crell. c. l. & alij famosè. At prædicamenta ut prædicamenta, i. e. termini Logici thematicæ dispositionis materiæ creatæ & prædicationum sunt, ad Log. & κτήσει & χρήσει, & possessione & usurpatione, pertinent, nec ulla est alia disciplina, quæ prædicamenta ut prædicamenta tractet. In Metaphysicis species entium creatorum substantiam & accidens, ac quæ illis continentur, analogicas habes, non prædicamenta. Etsi ex usu Logico magis, quàm Metaphysico interdùm eam appellationē habeant, ut & in Metaph: prædicamenta dicantur. Co. Fincki. p. 2. Sched. q. 22. Alstedium l. 3. Lo-

l. 3. Lo. har. c. 1. *Alii aliter hac de re, & varie; Quod universum per theses deducere n o nlicet.*

8. *Vera sententia est*, prædicamenta ut prædicamenta, formaliter & Logicè considerata, id e. ad *dispositionem thematicam instrumenta & prædicationem præparamenta*, esse terminos *& titulos Logicos*, series, gradus quosdam, notiones Logicas & ordines ad materialem prædicationem suppeditantes: *habentes pro fundamento res ipsas & notiones primas*, ut materiale, *pro objecto ordinationem ad thematicam explicationem & materialem prædicationem* ut formale, *adeoq́; considerare res non ut res, sed ut in prædicationem dirigibiles.* Hæc dirigibilitas est formale prædicamentorum Logicè consideratorum, estq́; vera operatio Logica, & prædicamenta termini Logici sunt istam operationem expedientes in parte Logices primâ. Ita Cl. J. M. C. 1. d. 5. q. 1. C. 2. d. 2. q. 2. l. 1. dis. Ram. c. l. l. 2. inst. Log. c. 6. Keckerm. c. 2. l. 1. Log: Gutkius l. 1. syn. Lo: c. 3. Hippius c. l. Alstedius l. 3. Lo. harm. c. 1. Wegerus l. 2. Log. c. 14. aliiq́;. *Et hic usus prædicamentorum primarius: Cui accedunt secundarij, esse indicem naturæ, i. e. ordinare res naturales sub certos titulos*, vid. Alsted. c. l. *& aliquod objectum Logicum præcognoscere.* V. Scheib. c. l.

9. Quâ secundum, Ubinam hæc doctrina tradenda? *Quidam libris Topicorum tantùm præmittendam censent, ut materia aliqua ad Topicam accommodanda habeatur, ut* Adrastus & Aphrodisæus apud Paschalium in Orat. d. explic. Arist. p. 69. *Rectè in parte primâ traditur. Nam terminos operationis primæ suppeditat, quib. res in prædicationem disponi possint. Quæ operatio in parte Log. primâ peragitur.* V. disp. 2. t. 18. Dices: Sic prædicamenta sunt notiones secundæ, non primæ. At V. g. subst. & accidens sunt

notiones

notiones primæ. Ita Scheiblerus int. c. 2. n. 21. Crusius dis. Lo. 3. q: 1. R. *sub.& acc. in Log. sunt summa genera. E. notiones secundæ, non primæ. Et ita prædicamenta* Logicè *considerata notiones secundæ sunt, non primæ, primam operationem Logicam dirigunt, intellectui terminos notionales ad eam facientes suppeditant,* non tantùm hanc vel illam termini Logici appellationem rei tribuendo, ut Sch. c. I. vult, sed ipsam rem ad *operationem aliquam Logicam, ut dispositionem & explicationem thematis simplicis, ac* futuram aliquam prædicationem præparando, ordinando, perficiendo, *quod terminorum partis primæ est proprium, non secundæ vel tertiæ: Ubi non prædicatio futura, sed* facta, *spectatur.* Conf. c. I. *Ita in* par. 3. *non explicatio thematica, aut enuntiatio, sed discursus & argumentatio intenditur. Et per hoc facilis est ad objecta* Scheibleri c. I. *responsio. Deinde prædicamenta post prædicabilia tractari debent, quia prædicabilia q. determinant* ad certam materiam, *v. g. substantiam, qualitatem.* At materialia sequuntur in artib. formalia. V. dis. 3. t. 5.

10. Quà tertium, Quid antepraedicamenta? *Sunt ad ipsa prædicamenta meliùs cognoscenda quædam præparamenta, non simplicis necessitatis ergò, ut partes, sed melioris claritatis, ut explicationes, præmissa. Continent* tres definitiones, *homonymorum, senonymorum, & paronymorum, de quib. actum* d. 2. t. 22. 24. Duas divisiones, *eorum quæ sunt, & quæ dicuntur, &* tres regulas. *1. In essentiali prædicatione prædicatum prædicati esse etiam prædicatum subjecti, in attributis realibus & materialibus. 2. Heterogeneorum diversas specie esse differentias. Sic leonis & hominis, animalis & coloris. 3. Subalternorum posse esse easdem differentias* vel constitutivas remotas, *sic animal & planta possunt easdem diff. corporis animati habere, quod sint corpus mistū, quæ est diff. corporis animati*

mati

mati: vel quandoq;, divisivas: *sic quantitas permanens & successiva habent continuum & discretum, quæ sunt differentiæ quantitatis divisivæ communes.* V. Dn. Weg. l. 2. Log. c. 6.

11. Fuit *præcognitio doctrinæ hujus. Cognitio est nominalis* vel *realis. Nominalis* homonymon, etymon & synonymon *expendit.*

12. Homonymia *vocis prædicamenti est, quâ sumitur* 1. pro *quolibet vocabulo. Sic Gregor. hom. 7. Johannem ad se venientib. respondisse prædicamenta vitæ dicit.* 2. pro *summo genere, sic substantiam, quantitatem, &c. prædicamentum dicimus.* 3. pro *totâ serie rerum sub uno genere contentarum. Sic hominem in prædicamento substantiæ esse dicimus. Sic hic sumitur. Sic prædicamenti nomine totã synonymorũ & paronymorum sibi secundùm sub & supra subordinatorum in materijs creatis coordinationem intelligimus. In eminentibus & transcendentibus materijs etiam est aliqua synonymorũ & paronymorum Logica coordinatio. Sed ad illas nec prædicabilia accommodantur, nec prædicamenta. Sed in generalibus & abstractione entis meliùs relinquuntur, non materialibus conditionibus rerum finitarum & prædicamentalium immiscentur.* Etymologia *est vel* Grammatica, *& sic â prædicando dicitur prædicamentum; vel* Logica *& sic â prædicatione, ad eam enim formandam proponitur: vel* Historica, *& sic quæritur, quisnam vocabulum primus introduxerit aut usurpârit, & hoc vel* Archytæ Tarentino *adscribitur, vel ejus præceptori* Pythagoræ, *qui Categorian dixit, quod hodiè dicimus prædicamentum.* Vide Cl. Jacob. Mart. libr. 2. institut. cap. 6. Synonymia *est, quâ dicuntur Categoriæ, â* κατηγορεῖν *i. e. accusare, & hic, prædicare, enuntiare; Categoremata, summa rerum genera, classes & ordines Entium, gradus, scala prædicationum, termini prædicamentales, synonymorum & paronymorum*

morum prædicamentaliũ coordinationes, conceptuum subordinatorum dispositiones, &c.

13. *Fuit* nominalis *consideratio.* Realis *triplex est*, definitiva, divisiva & affectiva.

14. Definitio *prædicamentorum hæc est.* Prædicamenta sunt termini Logici ordinem *conceptuum communium sibi subordinatorum* per superiora & inferiora ut classes quasdam in certa materiâ ostendentes.

15. *Ad intelligendam definitionem adverte singula verba. Dicuntur* 1. Termini Logici, *&* generaliter, *quia notiones secundæ Logicæ sunt, quæ in Logicis ut objecta tractari & proponi solent: &* specialiter, *quia sunt termini simplices primam mentis operationem Logicè ad futuram prædicationem dirigentes.* V. dis.2. t.8. *Conf. supra* th. 9. 2. *Dicuntur ordinem ostendere. Quidam* prædicamenta ipsum ordinem *vocant. Rectiùs tituli, termini, dicuntur ordinem illum suppeditantes. Ordo superiorum & infer. reverâ est in prædicamentis: Prædicamentum est terminus Logicus ordinem istum ostendens, fabricans, & proponens.* Prædicamentum est q. causa & dirigens, ordo q. causatum & directum. *Vulgò tamen pro ipso ordine sumi solent, Vt &* t.5. *factum.*

16. 3. Conceptuum communium sibi subordinatorum. *Conceptus hi ad speciales cujusvis prædicam. materias respiciunt, in quibus coordinatio illa facienda, ut materialior quàm in prædicabilibus, exsurgat operatio. Prædicabilia nudas formas affirmatè prædicandi ostendebant, h. e. abstrahebant à substantiâ, quantitate, qualitate, in particulari, & nudè tantũm, quid genus, species, &c. esset, ostendebant. &c. Sed prædicamenta formas illas* certæ materiæ in specie applicant, v. g. substantiæ, relationi, actioni, &c. *& sic determinatiùs prædicant, quàm prædicabilia. Hinc prædicamenta termini sunt*

ni sunt 1. affirmativæ. 2. materialis prædicationis, *vel de substantiâ, vel quantitate, vel qualitate, relatione, &c. fabricandæ. Hinc prædicamenta quibusdam argumenta* magis propria dicuntur, dirigentia materiam particulariter, Vt Alstedio l.3. Lo. ha.c.1. 4. Per superiora & inferiora. *Superiora hæc sunt ascensus illi & descensus, qui in prædicamentis formari solent.* Ascensus ab individuo *ad summum genus, per prædicationem synonymam, ut Petrus est homo, homo est animal, animal est corpus animatum, &c.* Descensus â summo ad imum *per prædicat. paronymam prædicamentalem, i.e. accidentalem, ut, quod: Corpus animatū est animal, Quod. animal est homo, Quid. homo est Petrus. &c. Ascensus principium & descensus terminus est individuum.* Ascensui & descensui collateraliter apponitur ascensus & descensus differentiarnm, *quæ subordinantur non directè, sed lateraliter, ut species suas constituentes, & genera dividentes. Sic rationale constituit hom. irrationale bestiam, & dividit genus, animal, in species sibi subjectas. Sic mistum, animatum, sensitivum, rationale, sibi subordinantur.* Conf. Dn. Weger. f. 2. Log. c. 14.

17. 4. Ut classes quasdam. *Ascensus iste & descensus dicitur velut classis, scala, & gradus esse, quorum beneficio mens nostra distingvat, quænam univocè, quænam denominativè de se prædicari possint. Vt graduum beneficio ascendimus & descendimus: sic horum officio in prædicationibus, in omni naturali & finitâ materiâ, quæ vel directè in prædicamentis est, vel competenter ad ea reduci potest.*

18. 5. Dicitur, in certâ materiâ. *Hoc requisitum multa requirit. Materia certa hic dicitur, quæ est in certo prædicamento determinatè, vel ad illud debito modo reduci potest. Vno verbo,* Materia prædicamentalis. *Ad materiam prædicamen-*

camentalem varij varia requirunt. Vulgò hic versu proponitur: Vox una & simplex rebus concinna locandis, Entia per sese, finita, realia, tota. V. Weg. l. c. 14. *Alij aliter procedunt.* V. Scheibl. c. l. n. 8. *Mihi* quinq; *requisitis tota hæc res comprehendi posse videtur,* ut Ens prædicamentale, *quod directè in prædicamento aliquo esse debeat,* sit unum, reale, finitum, simplex & incomplexum, & Logicè compositum.

19. *Debet* 1. Esse unum, sc. & quà vocem, & quà significationem. Quà vocem, *ut excludantur termini complexi, ut homo albus, scribens, loquens, Qui directè in uno prædicamento non sunt: Et integra enuntiata, Vt, homo est scribens, Exiguum vidi leporem jugulasse molossos, quæ similiter in prædicamentis non sunt.* Quà significationem, *ut excludantur ambigua ante factam distinctionem, super quib. nulla stat Logica operatio; ut lupus, Cancer: & generalissimè significantia, ut sunt transcendentia, Ens, aliquid, abstractum, concretum, &c. Hæc ob significationem transcendentem vagantur per omnia prædicamenta, nec possunt uni determinatè includi. Non satis determinatè significant, ut prædicamento alicui inferri possint. Ens prædicamentale determinatè unum esse debet, ut certam entis creati speciem significet, non generalissimè tantùm unum, ut ens, unum, verum, &c.*

20. 2. Sit reale, *h. e,* non habeat esse per intellectus nostri fictionem, *ut excludantur Entia rationis, notiones secundæ, termini technici, impossibilia, ficta, negationes, privationes, relationes rationis, &c.* 3. Sit finitum, *i. e. finitam habeat naturam, quo excluditur DEVS, & attributa, actiones divinæ, quæ à parte rei idem sunt cum essentiâ divinâ. Cæterùm varijs modis ab aliquib. DEVS ad prædicamenta refertur.* Ramus l. 4. Sch. Log. c. 6. *atheos proclamat illos, qui Deum*

in prædicamentum substantiæ non collocant. At ille atheus, qui eò refert. Facit enim ex Ente simplicissimo & infinito compositum & finitum. Ex Veterib. Gregorius Ariminensis, Gabriel, Holkot, Bacconitanus, Major, *Deum ad prædicamenta redigere voluerunt*, ap. Fonsec. in l. 5. Meta. c. 8. q. 1. Cl. J. M. C. 1. d. 9. q. 1. *Ex recentioribus* Mendoza d. 9. Meta. §. 14. 32. 33. seq. & Perionius lib. 1. epit. dialect. c. 8. Vorstius schol. ad comm. Lubberti §. 6. Taurellus pag. 175. trium Philos. *aliiq; id conantur. Rectius hoc negatur à Patrib. & Philosophis magno numero.* Vide Dn. J. M. d. 4. de pers. t. 70. 71. Wegerum c. I. n. 4. Morisanum dis. Lo. 4. q. 3.

21. *Alij Deum peculiariter novum aliquod prædicamentũ constituere dicunt.* Mendoza c.l. *quòd habeat prædicata quædam, ordine collocanda, Vt Ens, Spiritus infinitus, simplex, æternus. Sed hoc nil concludit, & ex falsâ hypothesi procedit. Nam Logicus agnoscit etiam synonyma & paronyma eminentia & supraprædicamentalia, quorsum ista prædicata redigit, & per quæ ordinare ea potest, non opus habet pro illis novum prædicamentum constituere. Ipse* Mendoza *Deum inter terminos non significantes rem alicujus Categoriæ refert*, disp. 1. summ. §. 10. *Ergò non ad prædicamenta referendus.* Vorstius *infinitatem Dei aliàs fateri videri vult. Infinita autem prædicamentis constringenda non sunt.* Alii Deum reductivè in prædic. ponunt, *ut* Thomas, Lorinus, apud Weger. c. l. num. 2. Quamvis idem Thomas id neget, par. 1. sum. q. 3. 4. 5. Vide Clariss. Jacob. Mart d. 4. de pers. t. 80. Goclenius p. 2. miscell. p. 168. 144. 145. 27. 28. Martyr in 1. Eth. apud eundem c. l. *idē volunt. At quod reductivè est in prædicam. deficit à ratione completâ & perfectâ istius prædicamenti. Sic partes totorum. At Deus, ut perfectissimus, deficere non potest,* Goclen. p. 192.

192. *antecedens verum ait de reductione purè univocâ, non analogâ. At reductio analoga habet saltem nomen reductionis, nihil rei. Ergò præstat & nomen omittere, quàm absq; competente sensu ponere. Quæ reducuntur, ob defectum reducuntur. Eminentissima non reduci, sed excludi & amoveri debent. Nec reductionis ulla hic aut necessitas, aut utilitas Logica est.*

22. Alii analogicè esse in prædicam. dicunt. Keckerm. sect. 1. cap. 2. lib. 1. Logic. Alsted. libr. 2. Metaph. cap. 1. & libr. 3. Logic. harm. cap. 2. Zanakius c. Jac. M. lib. 1. sect. 1. quæst. 6. cap. 7. *aliiq;. At potest Logicus etiam de Ente non prædicamentali disserere. Item per synonyma eminentia definire, non statim genus & differentiam requirit,* ut Zanak. *postulat. Sic in transcendentibus, eminentibus, divinis.* Vide Scharffium libr. 1. Logic. tract. 3. cap. 1. *Nullâ ergò analogiâ hic opus.* Alii anagogicè in prædicament. ponunt. Scheiblerus intr. cap. 2. num. 43. *Quòd omne intelligibile suo modo ad prædicamenta pertineat. Hoc è dictis falsum est. Transcendentia sunt intelligibilia, nec tamen ad prædicamentum statim reducenda. Et falsum est, objectum Logicæ totale in prædicam. proponi.* Vide th. 5. *Ipse* Scheiblerus lib. 1. Metaph. cap. 1. num. 92. *divisionem Entis in substantiam & accidens subdivisionem entis esse ait, diviso priùs ente in finitum & infinitum. Ergò substantia & accidens pro Ente finito sunt, non infinito. Non ergò de illis reductionibus entis infiniti ad classem Entis finiti magnoperè laborandum.* Alii esse in prædicamento ajunt quoad passiones intentionales, non reales, quà fiat ens λεγόμενον. *At non omne, de quo Logicus disquirit, statim ad prædicamenta refert, ut dictum. Et* omninò Ens simpli-

ſimpliciter infinitum nullo modo finiri debet, quicunquè ille etiam ſit. *Et ſi DEVS analogicè, anagogicè, reductivè, intentionaliter, Logicè, eſt in prædicamento, erit analogicè, anagogicè, reductivè &c. finitus, quod de Ente ſimpliciter infinito cogitari non debet.* Conſ. Valentianum T. 1. d. 1. q. 3. pun. 5. Fabrum de categ. c. 5. quæſt. 3.

23. 4. Ens prædicamentale ſit ſimplex & incomplexum, *ut nec complexionem* termini *habeat, ut homo albus*, nec propoſitionis, *ut homo eſt animal: nec ſit* compoſitum per accidens, *quod ad duo prædicam. referri poteſt, ut album, nigrum. Alia ratio eſt* compoſitorum per ſe, *ut homo, animal, quæ in uno prædic. directè ſunt; & quorum ſunt accuratiſſimæ definitiones.* Vide Clariſſ. Jacob. Mart. d. 2. de perſ. t. 43. *Nec aggregatum ex pluribus completam naturam obtinentibus, ut exercitus, Reſpublica, acervus lapidum.* 5. Sit Logicè compoſitum, vel activè, vel paſſivè. Paſſivè, *id eſt, ut habeat genus & differentiam, ut homo, animal.* Activè, *ut ipſum ſit ſummum genus, aliisq; compoſitionem per id inferre poſſit. Sic ſubſtantia, quantitas, &cæt.* Phyſicè *compoſitum non præciſè eſt. Sic accidentia ſunt puræ formæ, Phyſicè, id eſt, ex materiâ & formâ non compoſitæ: benè tamen* Logicè, *id eſt, ex genere & differentiâ. Vt excludantur* Conceptus ſimpliciſſimi tranſcendentales, *ut cauſa, cauſatum, neceſſarium, contingens, &c.* Conceptus divini & myſtici, Entia incompleta & partes totorum, *quæ reducuntur ſaltem ad prædicamenta totorum:* Gradus & modi rerum, *qui ad res eas, quarum ſunt modi, reducuntur, & ita vel ſubſtantiales fiunt, vel accidentales.* C. Dn. Wegerum c. l. Scheiblerum intr. c. 4. n. 24. Timplerum l. 4. Meta. c. 1. q. 2. *aliosq;.*

24. *Fu-*

24. *Fuit* definitio *prædicamentorum. Sequitur* divisio. *Prædicamentum aut est* substantiale *aut* accidentale. Substantiale *unum est*. Accidentale *per novem genera sparsum. Adeoq; numerus prædicamentorum in universum denarius est.*

25. *Cujus numeri sufficientiam variè probare solent.* Quidam *à modis essendi, qui vel subsistendi vel inhærendi sunt: Et hi vel absoluti vel relati, vel strictè inhæsivi, vel generaliter adhæsivi, ut ubi, quando, habitus &cæt.* Alii *à modis inessendi in substantiâ primâ & prædicandi de eâ:* Alii *à modis habendi esse vel in se vel in alio, & necessitate ad substantiam vel non.* Vide Dn. Weger. c. I. *Rectissimè numerus prædicamentorum probatur* à 10. summis generibus. *Tot sunt prædicamenta, quot sunt summa genera, sub quibus prædicamenta disponi possunt. At illa decem sunt, ad quæ omnia Entia creata referri possunt. Ergò & tot prædicamenta esse debent. Et* à posteriori *tutissimè hic numerus probatur, quia nec plura, nec pauciora hactenùs prædicamenta commodè & rationabiliter dari potuerunt, quàm ista decem. E. illa sunt sufficientia.* Conf. Fabrum d. categ. c. 5. q. 2.

26. *In numero hoc Alij peccant* in excessu, *alij* in defectu. [In excessu *Pythagorei, qui 20. prædicamenta constituebant, ut refert* Philosophus lib. I. Meta. cap. 5. Vid. Clariss. Jacob. Mart. libr. I. misc. d. 5. t. 7. *Vives,* lib. 2. de cau. cor. ar. *qui longè plura genera potuisse dari asserit.* Vide Eundem libr. 2. institut. cap. 6. *At hoc probandum fuisset.* Ramus libr. 4. Sch. Logic. cap. 5. *qui omnes locos Topicos substituit. Alij neoterici, qui undecimum prædicamentum pro entibus rationis constituunt,* apud Tolet. in Categor. quæst. I. *At entia rationis non*

sunt

sunt in prædicamentis, nisi in quantum ad rea'ia reducuntur & cum eorum consideratione sumuntur, ut genera, species, &c. Confer Conimb. de prædicam. quæst. 2. 3. 4. *Ficinus prædicam. signi undecimum facit: Alij undecimum pro rebus medijs inter substant. & accidens.* Vid. Regium de prædic. quæst. 1. In defectu *peccant, qui prædicamentum unum faciunt, Ens, ut Plato in Sophista, vel duo, ut Xenocrates, vel tria, ut* Valla l. 1. dial. c. 1. & 13. 17. *vel quatuor, ut Stoici, Svessanus, vel quinq; ut Plotinus, vel sex, ut Avicenna, &* Mendoza d. 9. Meta. sect. 2. §. 16. 17. 18. *vel novem, ut Nicostratus,* Timplerus, *ex actione & passione unum prædicamentum faciens,* lib. 5. Met. cap. 4. quæst. 1. 2. Ramus *qualitatem prædicamentum esse negans,* lib. 4. sch. Dial. cap. 1. Vid. Cl. J. M. lib. 1. misc. d. 5. t. 32. *alijq. De quibus videantur* Conimbricenses, Toletus, Regius, Morisanus, Wegerus, Scheiblerus, Faber, *alijq.*

27. *In specie prædicamenta leviter attingendo* Prædicam. substantiæ est terminus Logicus superiora & inferiora in substantiâ Logicè ordinans. *Substantia est ens finitum per se subsistens prædicamentaliter, id est, non inhærens instar accidentis prædicamentalis.* Dividitur *in primam & secundam, quæ divisio Logica est, non Physica, non Metaphysica.* Vide Clariss. Jacob. Mart. lib. 1. misc. d. 5. t. 13. 17. & dis. 1. de pers. t. 39. 40. d. 3. t. 147. Scheib. intr. Log. cap. 5. num. 17. Weger. cap. 15. Log. sect. 2. Moris. d. 5. Log. quæst. 7. Affectiones sunt, *Non recipere magis & minus: Non inesse substantiæ absolutè sumptæ, in suâ definitione, contrarietatem: contraria accidentia, non cum ipsâ essentiâ rei pugnantia, diversis temporibus suscipere, &c. Quæ omnia fusiùs persequitur Metaphysicus.*

28. Præd. quantitatis eſt terminus Logicus ſuperiora & inferiora in quantitate Logicè ordinans. *Quantitas eſt accidens prædicamentale extenſionem in totum & aptitudinem ad locum ſuppeditans. Eſtq́; continua vel diſcreta. Affectiones ſunt, non habere contrarium in ipsâ quantitate abſolutè ſumptâ: non ſuſcipere magis & minus, non habere efficaciam, ſcilicet ſi abſtractè ſumatur.* Prædicam. Qualitatis eſt terminus Logicus ſup. & inf. in Qualitate Logicè ordinans. *Qualitas eſt accidens prædicamentale afficiens ſubſtantiam in quale ſpeciale, ut ſpecies aliqua qualitatis. Dividitur in quatuor ſpecies. Affectiones ſunt, Radicem eſſe contrarietatum, ſuſcipere magis & minus, rem denominare ſimilem vel diſſimilem.*

29. Præd. relationis eſt terminus Logicus ſuper. & infer. in relatione ordinans. *Relatio eſt accidens prædicamentale reſpectũ rei ad rem ut ad terminum extrà coëxiſtentem dicens. Excludendæ hic relationes rationis, tranſcendentes, eminentes, ſecundùm dici.* Præd. actionis eſt terminus Logicus ſup. & inf. in actione ordinans. *Actio eſt agentis in patiens influxio.* Præd. paſſionis eſt terminus Logicus ſup. & inf. in paſſione ordinans. *Paſſio eſt influxus agentis receptio.* Prædic. Quando eſt terminus Logicus ſup. & inf. in Quando ordinans. *Quando eſt habitudo rei ad durationem finitam. Vt eſſe hodiè, fuiſſe heri, duraſſe biennium, &c.* Præd Ubi eſt terminus Logicus ſup. & inf. in Ubi ordinans. *Vbi eſt habitudo alicubitatis finitæ ad ſpatium certum, Vt eſſe Romæ, Gedani, &c.* Prædic. Situs eſt terminus Logicus ſup. & inf. in Situ ordinans. *Situs eſt habitudo accidentalis ordinem partium corporis ad ſpatium inferens, ut ſedere, ſtare.* Præd. Habitus eſt terminus Logicus ſup. & inf. in habitu ordinans, *Habitus eſt habitudo*

ordi-

ordinem ad externum corpus adjacens dicens, ut esse annulatum, vestitum, &c. Specialiùs & accuratiùs hæc discutere, in quibus latent multa intricatissima & obscurissima, *ad primum Philosophum pertinet. Logico obiter velut in suâ ordinationis rerũ finitarum materiâ hæc delibasse sufficiẽs est.*

30. *Fuit* divisio *prædicamentorum. Sequuntur* affectiones. *Hæ complures sunt.* 1. Utilitas. *Prædicamentorum utilitas multiplex est.* Primaria est, *terminorum in explicationem thematicam & materialem prædicationem ordinatio, de quâ* th. 8. Secundariæ sunt, *esse alphabetum universitatis rerum creatarum, i. e. omnes res creatas revocare sub certos titulos & ordines, in quibus collocentur: Mentem à confusione ad ordinem revocare: Essentialium definitionum & divisionum fundamenta ostendere: Logicum objectum ex parte præcognoscere, & qui præterea usus prædicamentorum esse possint, de quib. pluribus* Cl. J.M. Keck. noster, Scheiblerus, Dusa, & alii. 2. Necessitas, *quæ talis, ut sine iis Logica sit hiulca, qualis Rami & Ramistarum, ut ordine illo ad essentialẽ prædicationem, ut definitionẽ, ducente destituta.* V. th. 6. *& patet uberiùs ex utilitate ante libatâ.* 3. Ordo, *qui is, ut post prædicabilia tractentur.* V. th. 9. 4. Numer⁹, *q denarius,* V. th. 26. 5. Intentionalitas, *de quâ* th. 5. 6. Sufficientia, *de quâ* th. 27. 7. Inventio, *de quâ* th. 12. 8. Distinctio. *Prædicamenta sunt primò diversa & impermixta, h. e. unũ* formaliter *considerando non est aliud, habent n. diversas formales denominationes: Interim* Identicè *unum esse possunt, i. e. non differre realiter. Sic actio & passio non differunt realiter, diversa tamen sunt, & eò diversa prædicamẽta faciunt. Plurib. hac de re agunt* Morisanus q. 7. d. præd. Faber q. 5. c. 5. de categ. Fonseca l. 5. Meta. c. 7. q. 3. Javellus 5. Meta. q. 6. Dn. Wegerus in categ. q. 7. & 15. Mendoza d. 9. Meta. s. 2. § 17. & alii. *Nos hic ob chartæ angustiam sufflaminamus.*

H. NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.